



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10263

Vita D. Amara[n]ti Martyris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77423)

sum ad lachrymas, cum me oporteat letari & exultare, quod fuerim mater martyris, quod Deo obtulerim donum mei vteri, quod cum te, o charissime, aluerim & erudierim, & ad pietatem exercuerim, non te viderim consummatum morte communi & inutili? Vtilitatem enim magnam habet mors martyris, qua tu es consummatum. Sed me, cum decesseris, ne omnino relinquo: sed tuis intercessionibus apud eum, pro quo effudisti sanguinem, me ab hac laboriosa & calamitosa vita cito liberatam apud te statuas, hac in re mihi reddens mercedem nutritionis. Hac cum dixisset, deposuit manum in eo loco, in quo iusserat martyr: & quaecumque mandata fuerant, deduxit ad effectum, glorificans Christum verum Deum nostrum: Quem decet omnis gloria, maiestas & laus cum principio carente eius patre & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Sancti apud Deum pro nobis intercedunt.

VITA ET MARTYRIVM sancti Herculani Episcopi Perusini, cuius festiuitas septima Septembris celebratur, habetur Tomo 2. prima Martij: Itaque Lectorem eò remittimus.

VITA DIVI AMARANTI MARTYRIS, PER DIVVM GREGORIVM ARCHIEPISCOPVM TVRONEN.

scripta libro de gloria Martyrum, Cap. 67.

7. Nouembris Sanctorum animæ post agonem viuunt in gloria.



Cereus ad sepulcrum martyris diuinitus accenditur: unde liquet cereorum usum Deo gratum.

Multa ad sepulcrum eius sunt miracula.

MARANTVS martyr apud Albigensem urbem, exacto agonis fidelis cursu, sepultus viuit in gloria, cuius (vix historia passionis declarat) sepulcrum diu vepribus sepibusque coniectum latuit, sed Domino iubente, Christianis populis reuelatum est: & crypta, in qua quiescebat, patefacta resplenduit. Sed cum hostilitate impellente, locus ab habitatoribus fuisset eneruatus, a longinquo venientes incolæ, honorem beato martyri, quasi custodi proprii tebantur impendere. Igitur cum cereos frequenter deuotio Christiana deferret, quadam die contigit, ut quidam præ longinquitate itineris incrementum ignis, quo accenderetur cereus, non haberet: arreptamque siliem ferro verberat, quasi ignem eliciturus. Quod cum ageret, & crebris ictibus lapidem quatiens, nihil foci posset excutere, celesti lampade cereus, qui iam beato sepulcro affixus erat, illuminatur. Sicque factum est, ut quæ humanæ non expleuerant industria, peragerentur diuini numinis maiestate. Cessante humano studio, cælestia officia administrantur, luminis que noui fulgore cereus clarificatur accensus. Quod cum populis manifestum fuisset, incrementum foci ulterius, ad accendendum lumen nullus exhibere præsumpsit. Postquam verò locus ille inhabitari ab hominibus coepit, atque ibi domus in quibus ignis accenderetur adessent, hoc miraculum non est ultra præstitum plebi, cum alijs miraculis frequentius illustretur.

VITA SANCTI VVILIBRORDI TRAIECTENSIS EPISCOPI, AVTHORE ALBINO FLACCO

Alcuino, Caroli Magni præceptore.

PROLOGVS AVTHORIS.



Domino eximio, venerabili atque laudabili Beornrado Archiepiscopo, humilis Leuita Alcuinus salutem. Delatis ad nos vestrae excellentiæ literis, in quibus vestrum agnoscens in Domino studium, & diuturnam in lege eius meditationem, magno me gaudio affectum esse fateor. Sed tamen longè imparem me petitionis vestrae consideravi, utpotè nullo prærogatiuæ munere eloquentiæ suffultus ad implendum, quod iussistis: ac nisi me charitas vigeret, quæ nulla